

potest trebellianicam: ita expresse deciditur in jure Canon. c. 16. Raynui. & c. 18. Raynal. h. i. nam heredi extraneo permittitur deductio trebellianica; ergo a fortiori heredi suo, & necessario: tum quia heres ex illa hereditate deducere potest quartam, in qua gravatur: sed in legitima non gravatur; bene vero in residua hereditate; ergo ex residua hereditate quartam potest deducere. Imo si haeres sint quinque, vel plures, pro legitima accipiant semissem, & ex residuo quartam deducunt trebellianicam; cum id favor liberorum exposcat. Cape exemplum: testator in bonis relinquit 30. millia, haeres necessarii, seu filii pro legitima praeicipient trientem, seu 10. millia, residua 20. millia vicem asis habent, ex quibus quarta trebellianica, seu 5. millia pro haeredibus gravatis detrahatur, residuus dodrans, seu 15. millia fideicommissario restituentur. Rursum, si haeres sint quinque, vel plures, & in bonis testatoris sunt 40. millia, semis, seu 20. millia praeicipientur pro legitima, reliqua 20. millia sunt as gravatus, ex quo deducta quarta, quinquemillia residua millia haeredi restituentur. Leges civiles, cum in hoc puncto obscura sint, explicandae erunt ex jure Canon. modo dicto, scilicet, ut ex eo, quod post legitimam acceptam superest, dodrans, seu novem uncia restituantur fideicommissario, ut coligitur ex Nov. 108. pr. & c. 1. item ex Nov. 29. c. 1. Et ita solvuntur l. 41. §. 1. ff. de vulgar. l. 10. C. ad L. Falc. l. 21. §. 2. ff. de ann. legat. l. 24. C. fam. here. l. 6. C. ad SC. Trebell. l. 91. ff. ad L. Falc. l. 8. §. 15. ff. de inoff. test. l. 8. §. pen. ff. si cui plus &c. Vide Disp. Civ. 24. Comrov. 24. R. 3. Si haeres fiduciarius detrahit trebellianicam, etiam pro rata sentit onus actionum, si non detrahit, omnes actiones passivae, & activae transeunt ad fideicommissarium, §. 7. Dist. de fideic. heredit.

53. R. 4. Cessat trebellianica, si haeres fideicommissum evetere attentavit, vel hereditatem adire noluit, idque in penam suae temeritatis. l. 4. ff. ad SC. Trebell. Item si testator expresse prohibuit deductionem trebellianicam Nov. 1. c. 2. v. si vero expressum: cum in falcidia, & trebellianica eadem ratio currat. Item in casibus, in quibus cessat falcidia, ut infra m. 64. dicitur. Denique ratione eorum, quae imputantur in trebellianicam, ut fructus ex hereditate percepti; si haereditas non pure, sed sub conditione, aut in diem relicta est, exceptis liberis, qui fructus non imputantur in quartam l. 6. C. ad SC. Trebell. Item in trebellianicam imputantur legata, fideicommissa particularia, & probabiliter etiam ea, quae implende conditionis causa accipiuntur, licet ista non imputentur in falcidiam, sed ea solum, quae jure hereditario capiuntur, l. 74. 76. & 91. ff. ad L. Falc. Ratio disparitatis est, quia haeres gravatus legatis sentit totum onus hereditatis; adeoque non est aequum, legata ei facta imputari in quartam: contra haeres gravatus fideicommissum, non sentit onus, nisi suae quartae, quam habet; ergo ea, quae capit legata, merito imputantur in quartam trebellianicam, Zoes tit. ff. ad SC. Trebell. in fin. De fideicommissis utiliter legere poteris in Inst. l. 2. tit. 23. In Pandectis l. 36. tit. 1. In Codice lib. 6. tit. 42. utque ad tit. 49.

54. Q. III. Quis, cui, & quo modo legare possit? R. 1. Quilibet testari valens, etiam legare potest: & quidem cuicumque capaci institutionis, §. 24. Inst. de legat. l. 2. ff. de legat. 1. Imo etiam servo ex persona dominici, & monacho, qui legatum acquirit monasterio, et si hoc non sit capax hereditariae successionis, Clem. 1. de H. S. Spurius saltem de jure Can. aliquid in alimenta, vel dotem legari potest, c. 5. de eo, qui dicitur in matrimonium. 2. Legari potest non tantum ab herede instituto, vel substituto, ut si legatum praestet, sed etiam ab ipso legatario; non tamen in plus, quam ei sit relictum l. 2. C. de legat. l. 70. pr. ff. de legat. 2. ne plus gravetur, quam honoretur. At a substituto pupilli exhaereditatus nihil legari potest; quia sicut pupillus exhaereditatus gravari non potest, ita nec ejus substitutus, ut legata praestet, l. 24. C. de legat. 3. Formula verborum in legatis hodie quaecumque esse potest, l. 21. C. eod. solemnitates vero legatorum in testamento relictorum eadem sunt quae testamenti; & cons. consuetae testamentorum, regulariter conuunt legata, l. 1. ff. de jure Codicill. l. 39. C. de fideic. nisi testamentum esset nullum

ex sola causa praeteritionis haereditis necessarii: tunc enim legata, & cetera capita summa manent Nov. 115. c. 3. in fin. & c. 4. etiam prope fin. At extra testamentum sufficiens ad legatum quinque testes simul adhibiti l. fin. §. fin. C. de codicill. ibi: in omni autem ultima voluntate &c. Cui non contrariatur c. 4. h. t. quia plus non dicit, quam legatum fieri posse nudis verbis sine Scriptura. Hic semper excipit legata pia, ad quae sufficiunt duo testes etiam feminae, vel sola manus testatoris: item legata illa, quae ipse haeres a testatore audivit esse relicta l. fin. C. de fideic. Possunt autem legata fieri vel pure, vel sub conditione, vel modo, vel causa, vel in diem, de quibus agit Reiff. a n. 642. & ea, quae hic quati possunt, solvuntur ex supra dictis n. 32. & iis, quae de contractibus hoc modo initis tradidi in superioribus titulis, praesertim tit. 23. de solus. a num. 4.

55. Q. IV. Qua res legari possit? R. 1. Res non tantum propria testatoris, vel haereditis, sed etiam alienae; dummodo testator scriverit esse alienas, alias haberetur pro errante: ita expresse docet Imp. §. 4. Inst. de legat. cui consonant Can. 5. Si Episcopus 12. q. 5. Quo casu, si res aliena scienter legatur, tenetur haeres causa restituere, vel si restituere non potest, affirmationem ejus praestare. Nec obstat c. 5. h. t. nam ibi reprobat, non quia legatum est rei alienae, sed quia, in vita Ecclesia, res illius a legatario detrahebatur, scilicet calix, & puer Ecclesiae Constatinae; quae duo regulariter alienari prohibentur. Ceterum licet testator non possit disponere de re aliena pro viam vindicationis, tamen potest per viam damnationis, damnando haereditatem ad rem restituendam, vel pretium rei praestandum, Et his explicatur l. 8. ff. de jure codicilli l. 31. ff. de bonis liberis. l. 49. ff. de her. instit. l. 25. §. 6. ff. fam. heredit. l. 52. ff. ad SC. Trebell. At institutio fieri nequit super re aliena; cum haeres succedat in eadem jus proprium defuncti.

56. R. 2. Res extra commercium humanum existentes legari nequeunt, l. 29. §. 8. & seq. ff. de legat. 1. nec haereditaria res propria, §. 10. in eod. l. 13. C. de legat. cum nihil utilitatis ex tali re proveniat, neque convalescat legatum, si res postea definat esse haereditas ex regula Catoiana; quae legatum ab initio nullum, non vul tractu temporis convalescere tit. ff. de regula Cato. Similiter si creditor legetur debitum, quod ei debet testator, inutile est legatum §. 14. In de legat. nisi plus esset in legato, quam debitum; vel debitum esset sub conditione, aut in diem, & legatum purum, ibid. Nec mihi probatur eorum sententia, qui dicunt legato expungi debitum legale; uti est dos, donatio propter nuptias &c. non vero debitum aliud, v. g. ex contractu, ut si testator 100. debuit ex numero, & debitum illud legavit creditor; nam quod eo casu creditor possit petere 100. jure debiti, & alios 100. jure legati, nullo textu juris probatur; nisi alia esset expressa voluntas testatoris.

57. Q. V. Quomodo legatum vitietur? R. 1. Si relinquantur sine debitis solemnitatibus, vel in re non legabili, ut patet ex dictis. 2. Si relinquantur personae incapaci, vel indignae tit. ff. de his, qui ut indignis inf. 3. Si relinquantur loco, vel personae incertis, l. 10. & 28. ff. de reb. dub. nam incertitudo vitiat nam institutionem, quam legata; cum non consistat de voluntate defuncti. Excipit causas pias, quibus indeterminate legata relinqui possunt, l. 24. C. de Episc. & Cler. & quidem si pauperibus relicta est, distribui debet in pauperes hujus loci, Nov. 131. c. 11. Si Ecclesiae, vel pio loco, tunc legatum applicabitur ei loco, cui testator specialiter affectus fuit; alias Ecclesiae Parochiali, vel pauperiori secundum arbitrium Episcopi.

58. Q. VI. An inter plures legatarios detur jus accrescendi? Au ut portio unius deficiens accrescat portioni alterius agnoscens, seu acceptans legatum? R. Affirmative, dummodo legatarii sint conjuncti; nam ex praesumpta voluntate testatoris jus vult portiones deficientem instar alluvionis accedere alteri portioni, l. 33. in fin. ff. de usufr. Est autem conjunctio ista triplex: res, verbis, & re & verbis simul. Illi dicuntur conjuncti res, quibus eadem res solida legatur separatim, seu diversis orationibus absque ulla particula conjunctiva, v. g. Titio lego fundum Tusulanum, Caio lego fundum Tusulanum. Et si aliter vocatur conjuncti, & legatum abjunctim relictum, §. 8. In de legat. l. 1. §. 3. ff. de usufr. accresc.

Con:

Conjuncti verbis sunt, quibus in eadem oratione conjunctis res una relinquitur, sed assignatis partibus indeterminationis, v. g. Titio, & Caio aenis partibus lego fundum Tusulanum. Conjuncti re, & verbis sunt, quibus eadem res in eadem oratione legatur absque partibus expressis, v. g. Titio, & Caio lego fundum Tusulanum. Jam certum est inter disjunctos, uti etiam inter conjunctos re, & oratione, dari jus accrescendi. An vero detur inter conjunctos sola conjunctione verbali, dubitatur. Negat Zoes, Govean. Cujac. & alii, sed opposita sententia videtur aequi probabilis, vel forsitan probabilior: nam jus accrescendi generaliter admittitur inter legatarios conjunctos §. 8. In de legat. l. un. §. 11. C. de caduc. toll. sed verbaliter conjuncti sunt vere, & in sensu juridico conjuncti per l. 142. ff. de V. S. & l. 89. ff. de legat. ubi triplex ista conjunctio admittitur, ergo. Neque exempla ab Imperatore allata restringunt istam regulam, neque partes aequae assignatae: nam assignatio partium tunc tantum tollit conjunctionem, quando partes certae determinantur, v. g. ex fundo meo Titio lego duo jugera, & Caio etiam duo jugera: quo sensu explicatur l. 1. pr. ff. de usufr. accresc. l. 3. pr. & l. pen. eod.

59. R. 2. Si ambo legatarii conjuncti concurrant, sciendum legatum, hoc est, quilibet suam partem capit, cit. §. 8. In de legat. si vero unus deficiat, & nolit, vel non possit legatum acceptare, portio illius accrescit alteri collegatario, ibid. Est tamen hic notabile discrimen in legata proprietate, & in legato usufructu: nam usufructus, qui non ad semel acquiritur, sed singulis momentis debetur, accrescit alteri collegatario si ve a principio, si ve post acceptationem repudietur: contra proprietatem, quae ad semel, seu uno momento acquiritur, si acceptata est a legatario, & postea repudiata, non accrescit collegatario, sed revertitur ad haeredem: usufructus vero, si ve ante, si ve post acceptationem repudietur, semper accrescit collegatario, ob rationem mox datam, quia singulis momentis debetur, & non uno momento; sicut proprietatem in solidum acquiritur, l. 1. §. 3. ff. de usufr. accrescendo. Vide Zoes tit. ff. de legatis a num. 35.

60. Q. VII. Qua actione, & quando legatarius suum legatum petere possit? R. 1. Legatarius tres habet actiones per §. 2. Inst. de legat. personalem: ex quasi contractu, quia haeres adeundo hereditatem, tacite se obligat legatariis; quod voluntatem defuncti implere velit: hypothecariam, quod legatarius in bonis defuncti tacitam habet hypothecam rei vindicationem: quia legatum a morte testatoris transiit in dominium legatarii, non re ipsa, sed fictione juris, si haeres hereditatem adierit, & si legatarius legatum acceptaverit: nam si haeres hereditatem non adeat, omnis vis testamenti, & legati solvitur; cum nemo sit, a quo legata petantur, l. 86. ff. de legat. 1. & l. 181. ff. de R. J. si vero haeres hereditatem adeat, & legatarius legatum repudiet, perinde est, ac si legatum non fuisset, l. 38. §. 1. & l. 86. §. 2. ff. de legat. 1.

61. R. 2. Dies legati puri cedit statim a morte testatoris, quia tunc incipit deberi: venit vero a tempore adite hereditatis; quia statim peti potest, postquam haeres hereditatem adierit; si autem legatum est conditionatum, existente conditione, dies cedit, & venit, l. 213. ff. de V. S. l. 5. ff. quando dies legator. cedat. ubi plura de hoc legere poteris.

62. R. 3. Fructus, qui sunt pars rei legatae, v. g. factus ex pecoribus, & fructus pendentes, debentur legatario §. 10. In de legat. l. 20. ff. de legat. 1. imo probabiliter alii etiam fructus, cum legatarius sit dominus rei legatae mox a morte testatoris; ergo & fructuum: nam omnis res suo dominio fructificat. Alii tamen probabiliter tenent, quod haeres illos fructus, qui non sunt pars rei, non teneatur legatario restituere, nisi fuerit in mora restituendi, arg. l. fin. C. de usur. & fruct. legator. Reiff. a n. 681.

63. Q. VIII. Quod beneficium habeat haeres excessivis legatis gravatus? R. 1. Beneficium falcidiae legis, vi cuius ex bonis testatoris quartam partem deducere potest; & cons. si bona non sufficiunt, quarta ista proportionaliter detrahenda erit ex legatis, fideicommissis, & mortis causa donationibus, tit. In. ff. C. ad L. Falc. ubi plura de hoc legere poteris. Dicitur est Falcidia, non a defalcando, sed a Falcidio tribuno plebis, qui

P. Remigii a S. Erasmo. Pars II.

libertatem legandi ex L. XII. Tab. concessam restrinxit, & legem Furiam, qua ultra mille aures legari prohibebatur, legemque Voconiam, qua plus legari uni verum erat, quam heredi relinquitur, recte emendavit, statuendo, ut heredi saltem quarta pars bonorum obveniret, pr. Inst. de lege Falcid.

64. R. 2. Falcidia cessat in multis casibus: 1. In legatis a milite relictis, l. 7. C. ad L. Falc. dummodo testetur militariter. 2. Si testator expresse prohibuit deductionem falcidiae, Auth. sed cum C. eod. ex Nov. 1. c. 2. ibi: si vero expressum, vel si voluit rem legatam esse inalienabilem, & perpetuo mansuram apud successores, Auth. sed & ea C. ad L. Falc. 3. In legata libertate, vel eo, quod praestandum est pro libertate servorum, §. fin. In ad L. Falc. 4. In dote praelegata uxori l. 57. ff. eod. nam in hac uxor capit, quod suum est. 5. In legatis ad pias causas, Auth. similiter. C. ad L. Falc. ubi expresse dicitur: similiter falcidia cessat in his, quae ad pias causas relictae sunt. Et concordat Authem. ista cum suo originali Nov. 131. c. 12. ubi expresse Imperator loquitur in casu infufficientiae, non vero negligentiae, ut quidam interpretantur: nam pro casu negligentiae, dum haeres negligit solvere legatum pium, inferius disponitur, ibi: si autem distulerim &c. 6. Qui solvit legata solida, vel scienter, vel ex ignorantia juris, quia non scivit sibi competere falcidiam, solum non repetit: bene vero si solvit ex ignorantia facti, quia putavit plus esse in hereditate, Nov. 1. c. 3. Plura de materia legatorum videre poteris in jure civili.

65. Ceterum licet falcidia, & trebellianica origine differant, tamen in effectu aequiparantur, cum haeres per alterutram sibi quartam detrahit, five ex legatis, five ex fideicommissis. Imo, ut DD. observant, saepe in jure nomen falcidiae pro trebellianica, & contra usurpat, ut l. 41. §. 3. in fin. ff. de vulgar. l. 86. ff. ad L. Falc. ubi falcidia accipitur pro trebellianica & contra l. 1. §. 20. ff. ad SC. Trebell. trebellianica pro falcidia accipitur.

§. IV.

De Codicillis.

66. Codicillus est ultima voluntas testatoris de bonis suis disponentis sine directa heredis institutione. Ad valorem ejus requiruntur quinque testes, etiam non rogati, inter quos etiam mulierem adhiberi posse multum docent: & quidem in codicillo scripto subscribitur se, non tamen necessario sigillant: in codicillo autem nuncupativo praesens inter sunt, & audiunt voluntatem testantis, l. fin. C. de codicill. Excipit codicillum ad pias causas, & inter liberos, pro quo sufficiunt duo testes.

67. Q. I. Quis codicillari possit? R. Omnis, & solus, qui testari, l. 8. ff. de jure codicill. ibi: codicillos is demum facere potest, qui & testamentum facere potest. Quodsi quis de jure communi habilis esset ad testandum, inhabilis vero de jure statuto, posset codicillum facere: quia statutum istud exorbitans restringendum est ad testamentum, non vero ad codicillum extendendum. Porro fieri potest codicillus unus, vel plures, cum, vel sine testamento, ante, vel post illud, nec unus per alterum posteriorem revocatur, nisi sibi contrarii sint, §. 1. in codicill. nam codicillus non continet totam voluntatem defuncti, sicut testamentum, sed tantum partem illius.

68. Q. II. Quid codicillis possit, vel non possit relinqui? R. 1. Relinqui possunt legata, & fideicommissa etiam universalia: item exprimi haeres, quem testator in testamento instituit. Contra in codicillis fieri nequit institutio, vel substitutio directa: quia codicillis haereditas neque dari, neque adiri potest: ne consumatur vis testamentorum, & codicillorum, & ideo nec exhereditatio scribi §. 2. In de codicill. 2. Si codicillis haereditas directo datur, seclitit institutio, & substitutio directa in obliquum, seu fideicommissariam l. 13. §. un. ff. de jure eod. ut scilicet sustineatur voluntas defuncti eo modo, quo potest: quo casu haeres ab intestato, detracta trebellianica, hereditatem restituit fideicommissario in codicillis expresse. At si quis testamentum voluit condere, & illud jure non condidit, non valet tale testamentum in vim codicilli, licet,

E 3 hujus

hujus solemnitates habeat *cit. l. 13. & clare l. 1. cod. ubi Ulp. ait: sepius rescriptum, & consuetum est, cum, qui testamentum facere optatus est, nec voluit quasi codicillos id valere, videri nec codicillos fecisse: nam hic locus est regulæ: quod voluit, non potuit, & quod potuit, non voluit.* Nec obstat, quod testamentum scriptum invalidum, si solemnitates nuncupativi habeat, in probabili sententia valeat in vim nuncupativi: nam testamentum utrumque in eandem finem tendit, ut hæres instituat, & testator non decedat intestatus; e contra testamentum, & codicillus per se primo sunt diversa. Excipe, nisi tali testamento addita sit clausula codicillaris, quæ optima est expressa, v. gr. *si hæc voluntas mea non potest valere in testamentum; valeat in codicillis, vel omni meliori modo:* tunc enim testamentum imperfectum valebit in vim codicilli, si hujus requisita habeat. Porro in arbitrio heredis est, an jure directo totam hereditatem petere velit, an jure fideicommissi dodrantem ob clausulam codicillarem: semel autem electione facta, extraneus variare nequit; bene vero si quis hæres sit ex agnatis usque ad quartum gradum *l. fin. C. de codicill. De codicillis vide in Institut. l. 2. tit. fin. in Pandect. lib. 29. tit. 7. in Codice lib. 6. tit. 36.*

§. V.

Quæstiones de dissolutione Testamenti, additione, & transmissione hereditatis &c.

69. Q. I. *Quibus modis testamentum dissolvatur?* R. 1. Olim dissolvebatur lapsu decennii *l. 27. C. h. r. hodie via juris dissolvitur per raptionem, iritationem, & destinationem;* & factio hominis, seu iudicis per rescissionem, proposita querela inofficiosi testamenti. Tunc rumpitur testamentum, dum testator manet in eodem statu civili, & jus testamenti vitatur vel agnatione posthumi, vel arrogatione alicujus in filium, qui erant præteriti in testamento: vel reali mutatione testamenti, v. g. per lacerationem, vel solemnem consecutionem novi *§. 1. Institut. de exhered. liber. §. 1. & seqq. Inst. quib. mod. testam. infir.* Tunc irritatur testamentum, dum testator mutat statum civilem per capitis diminutionem: *§. 4. ibid.* nam si patitur maximam capitis diminutionem per servitutem, vel mediam per deportationem, amittit bonam libertatem, & jus civilia: si vero patitur minimam capitis diminutionem per arrogationem, definit esse paterfamilias, & bona non habet in sua potestate; ergo pariter definit testamentum. At professione Religiosa non irritatur, sed firmatur testamentum; quia Religiosus capite non minuitur quoad statum civilem, sed tantum quoad certos effectus a votis pendentes. Tunc desinitur testamentum, dum hæres simpliciter repudiat hereditatem sibi delatam, vel præmoriatur testatori: ita hæc, & plura his affinia habentur *lib. 1. & seqq. ff. de inoff. testam.*

70. R. 2. Tunc testamentum rescinditur, dum iudex ad justam querelam inofficiosi illud cassat. Hodie in communi DD. sententia non est locus querela inofficiosi: nam si liberi, seu hæres necessarii præteriti sunt in testamento, vel injuste exhereditati in testamentum ipso jure est nullam per *Nov. 115. c. 3. & 4. in fin. utrobique;* adeoque non indiget rescissione. Quia vero probabile est solam præteritionem hæres sui facere testamentum ipso jure nullum, dabitur querela inofficiosi a libris hæredibus necessariis, qui in testamento præteriti, vel injuste exhereditati sunt; ut defendi in *Disput. civ. 7. comrov. 42.* Vide *Zoes. ad tit. de inoff. testam.*

71. Q. II. *Quid sit jus deliberandi?* R. Est facultas hæredi ad certum tempus data, ut pendere possit, an hereditatem adire velit; necne, ne præponere adendo decipiant *tit. ff. de C. de jure delib.* Hodie in locum ejus locum esse invenimus, seu repertorium, in quo omnes res hereditariae in presentia notarii, vel aliarum personarum secundum loci consuetudinem adnotantur *l. fin. C. de jure delib.* Effectus hujus inventarii est, quod hæres videns hereditatem sibi fore damnosam, non teneatur eam adire, nec, si adivit, solvere ultra vires hereditatis. Si tamen, non obstante inventario, petat facultatem deliberandi, conceditur ei a Principe unis annus *cit. l. fin.*

72. Q. III. *Quid sit additio, & repudiatio hereditatis? & quid juris circa illam?* R. 1. Aditio hereditatis est illius delatæ agnitio, seu acceptatio, dum quis verbo, vel ipso facto declarat se heredem esse. Et repudiatio est hereditatis repulsio, seu non acceptatio *l. 10. & 88. ff. de acq. hered. l. 1. §. decretis ff. de successor. Edicto. Adire, & repudiare dicuntur hæres extranei; sui vero dicuntur se immiscere hereditati, cum eorum sit, vel ab eis abstinere ex beneficio Prætoris *§. 2. in fin. Inst. de hered. qual. l. 57. ff. de acq. her. ut proinde hodie solus servus sit hæres necessarius, eo sensu, quod necessario adire debeat hereditatem, §. 1. h. d. r. pro quo incommode libertatem consequitur, ibid.* Extraneus pro placito adire potest, nisi sit hæres fideiarius; seu rogatus hereditatem restituere: tunc enim ad eam adendum cogi potest, ne fideicommissario jus suum pereat, *h. d. pr. ff. ad SC. Treb. 2. Jus adendum hereditatem, vel se immiscendi, esse de perpetuum, seu 30. annis durans; nisi iudex, vel testator aliud temporis spatium designet; quod Cretio a certando dicitur: quia hæres sub dicta verborum formula cernere, seve decernere debuit, an hereditatem adire vellet: sed formulæ istæ jam sublatae sunt, *lib. 8. 17. C. de jure delib.* Is autem solus adire hereditatem potest, qui se obligare valet: non pupillus, vel minor sine auctoritate tutoris, aut curatoris; imo nec tutor sine consensu pupilli, si is infans sit major, & uti rationis pollens, *l. 5. 18. C. de jure delib. 3.* Effectus aditæ hereditatis sunt: *jus, & dominium* rerum hereditarum; quia dominium solo animo acquiri potest: possessio autem sine apprehensione non acquiritur, nisi lex, aut consuetudo aliud habeat, & supplet apprehensionem corporalem; ut plerumque hodie fit, *l. 1. §. 16. & l. 23. ff. de acq. poss. item jura omnia activa, & passiva; & quidem hæres teneat debita solvere ex contractu, ex quo desinens obligabatur suis creditibus, *lib. fin. Cod. de jure delib.* legata vero, & fideicommissa teneat prestare ex quali contractu; quia adendum hereditatem tacite se obligavit ad ea præstanda, *§. 5. In de oblig. ex quasi contr. Ab his oneribus non liberat se hæres, si potest repudiare velis hereditatem; nisi Prætor ex justa causa concedat restitutionem in integrum, ut minori, Ecclesie; & quandoque majori ex gravi causa, ut si vis grande alienum antea laetit, & postea emerit, *§. 5. & seq. In de her. qual. Interim gesta a minore sustinentur, ut si quid bona fide vendidit, vel legata solvit, *l. 44. ff. de acq. hered. l. 22. ff. de minor.* licet solum a legatariis revocari possit conditione indebiti, *l. 5. ff. de condit. indebiti.* Denique effectus aditæ hereditatis est transmissio illius in heredem heredis, ut *seq. q. dicitur. 4.* Repudiare hereditatem potest omnis, qui acquirere, *l. 8. ff. de acq. hered. non tamen pupillus sine auctoritate tutoris, & insuper decreto Prætoris, l. 5. C. de repudiand. hered. l. 5. §. 8. ff. de rebus eor. Minor vero saltem sine decreto Prætoris valide repudiat *l. fin. C. de repudi. hered. l. 24. §. 2. ff. de minor. læsus tamen restituatur, ibid.* Et quia Ecclesia comparatur minori, & non pupillo, nisi viduata sit, etiam Prælati absque solemnitatibus canonicis valide repudiat hereditatem, ut dicitur supra *tit. 13. de reb. Eccl.* Effectus repudiatæ hereditatis est, quod repudians eam amplius adire non possit, nisi esset hæres suus re integra, vel minor contra repudiationem restitueretur, *l. 4. C. fin. C. de repud. her.*******

73. Q. IV. *Quando hereditas transmittitur in heredem heredis?* R. 1. Regulariter loquendo, hereditas adita transmittitur, non adita, non transmittitur, *lib. un. §. 5. in novissimo C. de caduc. toll.* Excipe 1. jus, seu potentiam *juratis;* vi cujus hæres suus, qui in potestate defuncti fuit, transmittit ad suos hæres hereditatem, etiam si illi se non immiscuerit. 2. Jus, seu potentiam *juramentis;* vi cujus consanguinei, ut liberi emancipati, hereditatem non aditam transmittunt ad suos hæres, *cit. l. un. §. 5. C. de caduc. toll. l. un. C. de his, qui ante apert. tab. 3. Jus deliberandi;* vicium hereditatis deliberantis de illa adenda transmittitur ad ejus hæres, *l. 19. C. de jure delib.* Quibus juri-bus emendantur jura antiquiora, ut *l. un. C. de caduc. toll.* ubi extraneus hereditatem non aditam non transmittit. Ceterum si ve sui, si ve extranei repudient hereditatem; cum omni jure se abdicent, nihil transmittunt ad suos hæres.

74. R. 2. Substitutus vulgariter non impedit transmissionem ex jure sanguinis, vel ex jure deliberandi; *l. un. C. de his, qui ante apert. tab.* imo nec ex jure latitatis *l. 80. ff. de acq. her. nam substitutio, si hæres non erit, intelligitur positive, si se abstinuerit, vel si nec ipse hæres erit, nec nomine suo alium heredem fecerit per transmissionem. Idem dic de conditione: si voluerit, cum satis velle sit per heredem heredis. E contra nulla existentia heredis sui non excludit substitutum, nisi hæres per se, vel per suum heredem immisceat se hereditati: alioquin si ille, vel iste abstineat, locus est substituto, cum conditio impleta sit, si hæres non erit.*

75. R. 3. Fideicommissarius mortuus ante hereditatem a directo herede aditam, transmittit fideicommissum ad suum heredem; ita con. contra Azon. *ex lib. 44. pr. ff. ad SC. Trebell.* nam a morte testatoris, si certus dies coart, ita continuo jus acquiritur fideicommissario universali, *l. 25. pr. ff. ad SC. Trebell.* sed jus questum transmitti potest, ergo. A fortiori legata, & fideicommissa particularia transmittuntur, cum statim cedant a morte testatoris legatariis, & fideicommissariis, *l. un. §. 5. C. de caduc. toll.* In quo puncto fideicommissarius est favorabilior herede directo, cui ante aditionem nihil juris acquiritur, sed procedit reg. generalis: hereditas non adita, non transmittitur, *l. 1. C. de jure delib.* Plura de his vide in Civilibus, *tit. ff. de acq. hered.*

76. Q. V. *Quomodo tabula testamenti aperiatur?* R. In hoc potissimum servatur consuetudo cujusque loci: securissimum autem est testamenta aperiiri coram magistratu, ut ibi publica fidei donentur, vel saltem coram viris honestis, *l. 7. ff. quemad. testam. aper.* Si tempore aperturæ testes sint mortui, testamentum solemne scriptum videtur subsistere; cum solemnitates adhibite etiam post mortem probent, sicut instrumentum publicum: at nuncupatum corrui, quia solemniter constare nequit de mente testatoris; nisi super testamento solemniter facto erectum fuisset instrumentum a notario publico. 2. Aperi testamenti copiam petere possunt omnes, quorum interest *l. 1. ff. eod.* Heredes legatariis non teneat edere omnia capitula, sed tantum illa, quæ petentem concernunt, *arg. c. 5. de instrum. 3.* Heres, aperto testamento, si omnia capitula testamenti vult ab intestato succedere, non est admittendus in casu, quo frans audiri, ne relicta in testamento perolvantur, *l. 1. ff. si quis omnia,* nam prætor voluntates defunctorum teneat, ut suam effectum habeant. Imo in veteri sententia hæredibus necessariis non permittitur legitimam suam præcipere & a reliqua hereditate abstinere, tum quia hereditas non est scindenda *l. 1. ff. de acq. her. tum quia inconveniens est, ut testator partim testatus ex parte legitimæ, partim intestatus ex reliqua hereditate decedat, *l. 52. §. 2. & l. 53. ff. de acq. her. 4.* Ex Scto Silliano, & Claudioano testamentum non est aperiendum in casu, quo dominus occisus est, antequam de servis questio publica institueretur, & rei, qui dominum non defenderunt, condignis suppliciis puniantur, *tit. ff. de SC. Silan.* De his vide in Pandect. *l. 29. tit. 3. 4. 5. & in Cod. l. 6. tit. 29. 32. 35.**

77. Q. VI. *Quid juris in casu, quo quis aliquem restari prohibuit, vel coegit?* R. 1. Qui prohibuit testamentum fieri, ut ab intestato hæres esset, vel compulsi ad se heredem scribendum, vel impediens, ne, cum hæres esset scriptus, testamentum mutaretur, tanquam indignus tota devolvitur ad fiscum, *l. 1. pr. ff. si quis aliquem restari prohib. Si vero concurrat cum aliis heredibus scriptis, vel ab intestato venientibus, portio indigni applicatur fisco; reliqua vero hereditas ceteris heredibus insonibus defertur, ne hi alieno delicto prægraventur. Et similiter legata, & fideicommissa innocentes extradenda sunt, fisco falcidiam præcipiente, *l. 2. §. 1. 2. ff. si quis aliquem restari. l. 3. §. fin. ff. ad SC. Trebell. 2.* Testamentum metu gravi injusto factum de jure naturali subsistit; quia metus non tollit voluntarium, & coacta voluntas adhaec est voluntas *l. 21. §. 5. ff. quod met. caus.* De jure autem positivo Brunem. Schmalz. & alii, dicunt esse invalidum, quod & ego aliquando ut improbabile tenui: sed oppositum videtur probabilius, ut Menoch. Harpp. Peregr. & alii docent; nam tale testamentum nullibi a jure irritatur; tum*

quia hæredi sic instituto denegantur solum actiones: tum denique quia ceteri hæredes infontes ex tali testam. succedunt, legatarii legata, & fideicommissarii fideicommissa capiunt *l. 1. 2. ff. si quis alii.* ergo tale testamentum valet: alias institutiones, legata, & fideicommissa corruerent. Argumenta contraria plus non probant, nisi quod portio indigni, qui metum intulit, confiscetur in penam delicti *l. 1. pr. ff. & l. 1. C. si quis alii restari.* Nec obstat *l. 20. §. fin. ff. qui testam. nam pro testibus, qui debent esse rogati, id clare expressum est, de testatore autem id expressum non est. 3. Blanditiæ, quibus maritus uxorem, vel e contra, suaverit inducit ad condendum testamentum, non nocent blandienti *l. fin. ff. & l. fin. C. si quis alii rest. nisi blanditiæ, & preces essent armate, metui, & coactioni æquivalentes.**

78. Q. VII. *An heres teneatur dare cautionem idoneam de servandis legatis, & fideicommissis, & suo tempore præstandis?* R. Affirmative; maxime si legata sint conditionata, aut in diem: vel pura quidem, sed que moram in exequendo patiuntur, *l. 1. 14. 15. ff. ut legator. ne scil. bona ista dilapidentur, & voluntas defuncti pereat.* Quodsi cautio ista non præstetur, legatarii, & fideicommissarii mittendi sunt in possessionem bonorum legatorum custodiae perpetuæ causa, *tit. ff. ut in possessione legator.* Excipe, nisi testator cautionem istam heredi remiserit, quod & potest lege permittere, *l. fin. pr. ff. ut legator. & l. 2. 4. C. ut in possess. legat.* Quod speciale est, cum testator cautionem remittere non possit fructuario *l. 1. C. de usufr. disparitas commoda datur ex eo, quia cautio fructuaria datur in favorem heredis, cui lex præjudicari non voluit per testatorem; e contra cautio legatorum datur in gravamen, & onerationem heredis, quod unus per testatorem tolli lex permittit.*

§. VI.

De executione ultimarum voluntatum.

79. Q. I. *Qui constituere, & consensu possunt exequutores ultimarum voluntatum?* R. 1. Testator constituere potest exequutorem testamentarium, unum, vel plures, mares, vel feminas, majores, vel minores, *§. 3. h. l. 1. 15. ff. de alim. legat.* Imo & Religiosus cum licentia sui superioris potest esse exequutor: sine licentia autem illicito agit: acta tamen sustinentur, cum nullibi irritentur; exceptis Fratribus minoribus seraphici Ordinis S. Francisci, qui nec cum licentia superioris munus exequutoris suscipere possunt, *Clem. 1. §. item quod v. cumque de P. S.* Nemo tamen regulariter cogi potest ad hoc munus, cum de se sit privatum, nisi necessitas aliud exposcat, *c. 19. h. r. & tunc laicus a iudice laico, Clericus ab Episcopo; religiosus a suo Prælatu cogi poterit. 2.* Si testamento nullus datus est exequutor, exequutio etiam quoad legata est pones hæredes, *c. 3. h. r.* exceptis piis relictis, quorum exequutio spectat ad Episcopum *l. 28. C. de Episc. & Cler. nov. 131. c. 10.* nisi aliud habeat consuetudo.

80. Q. II. *Quæ servanda sint in executione?* R. 1. Si exequutioni non potest præfixi tempus, ista fieri debet quam primum post aditam hereditatem, saltem intra unum annum; qui a principio est utilis, deinde continuus: secus post negligentiam commissam potestas exequendi, saltem legata via, devolvitur ad Episcopum *c. 3. h. r.* exequutor vero negligens privatur rebus sibi a defuncto relictis, *nov. 1. c. 1. §. 1. Auth. hoc amplius C. de fideicom. c. 6. h. r.* excepta legitima, qua hæres non privatur. Si tamen neget, vel diu usque ad coactionem judicis distinet præstare legata pia, condemnandus est in duplum, *§. 19. In de alim. Relicta,* quibus privatur exequutor negligens, si ad piam causam sunt, vindicari Episcopus pro piis causis: si vero profana sunt, accrescunt hæredibus, vel collegatariis, *Auth. licet C. de Episc. & Cler. & tit. nov. 1. cum Auth. 2.* Exequutor justus pecuniam expendere in pauperes indeterminate, si nominata exceptus non est, & vera paupertate laborat, potest sibi aliquam portionem applicare; cum ita vere impleatur voluntas testatoris, 3. Finita executione, obligatur exequutor rationes reddere, exceptis minimis, super quibus juramento creditur, & his, quæ secreta exequutioni defunctus commisit,

Clerici, & Religiosi, etiam exempti, rationem istam reddunt Ditecelano suo, in quo puncto ei subdiciuntur. Clem. un. h. 1. qua dispositio a Religiosis exemptis non videtur extendenda ad Clericos seculares exemptos, qui rationem reddunt Papae; quia forsitan Religiosi in his executionibus magis delinquebant; & idcirco Episcopo suo subiecti sunt.

81. Q. III. Quis commutare possit ultimas voluntates? R. 1. Princeps secularis quoad relicta profana, modo adfit iusta causa, l. 4. ff. de admn. ver. ad civ. per. nam voluntates, & bona subditorum sunt sub dominio alto Principis; ergo cum iis disponere potest, prout exigit bonum publicum. Idem potest Papa, & Principes S. R. I. in suis territoriis. 2. Relicta pia commutare potest Papa ob generalem administrationem Clem. 2. de Relig. domib. & probabiliter etiam proprius Episcopus ex Can. 6. v. deinde d. 32. & Trid. sess. 22. c. 6. de resor. ubi potestas ista videtur Episcopis delegari, ibi: tanquam delegati Sedis Apostolicae: nam hoc modo, cum relicta convertuntur in meliorem usum, non tam mutatur, quam declaratur voluntas defuncti. At haeredes, & exequutores, nisi specialiter hanc potestatem a testatore acceperint, nullo modo mutare possunt voluntatem defuncti, c. 3. h. 1. cap. 16. de for. comp. Clem. 2. de relig. domib. nam munus eorum est exequi, ut si voluntas defuncti impleri non possit, vel non nisi difficillime; cum ad impossibile non datur obligatio; vel si in commutatione adfit necessitas, ut tempore pestis, famis, vel evidens utilitas &c. regulariter tamen minor causa sufficit ad commutanda legata profana, quam pia.

TITULUS XXVII.

De Successionibus ab intestato.

Agitur de hac materia in Decreto, Can. 2. 12. q. 2. & c. fin. 12. q. 5. Jura antiqua de successioibus ab intestato referuntur in Instit. lib. 3. tit. 1. usque ad 13. in Pandectis lib. 37. & 38. fere per tot. in Codice lib. 6. tit. 56. & seqq. sed hodie obtinet jus novum ex nov. 118.

1. Nota 1. Successionem esse duplicem: testamentariam, quae deseritur ex facto, seu provisione hominis, scilicet per testamentum defuncti, de qua tit. praec. & legitimam; seu ab intestato, quae deseritur ex sola provisione legis decernentis, quis in bonis defuncti ab intestato succedere debeat. Tunc autem quis dicitur intestatus, dum vel nullum fecit testamentum, vel non iure, seu valide, vel id, quod fecit, ruptum, aut alio modo dissolutum est. Porro illi dicuntur succedere in capita, quorum quod sunt capita, seu persona; tot sunt aequales portiones: illi vero in stirpes, in quibus numerus personarum non attenditur, sed solius stirpis, ex qua descendunt: & ita tres, v. g. nepotes representando suum patrem, seu stirpem, cum patruo succedunt avo; idemque capiunt, quod pater eorum accepisset, idque jure representationis; quia omnes simul unam patris personam representant, §. 6. & fin. In de hered. ab intest.

2. Nota 2. Edictum, seu jus successorium esse illud, quod ab haeredibus prioribus non volentibus, vel non valentibus succedere deserbat hereditatem intestati ad haeredes posteriores, tit. ff. de successorio edict. Et quidem ex L. XII. Tab. successio fiebat de capite in caput, seu de ordine in ordinem, ita ut ab uno successiois ordine transferretur ad alterum; puta a suis ad proximum agnatum, & hoc deficientem, ulterius non procedebatur, sed hereditas immediate devolvebatur ad situm. Sed hie rigor juris civilis temperatus est per varia edicta Praetorum, & constitutiones Imperatorum, & caput successio fieri, non de ordine ad ordinem, sed de gradu ad gradum, seu de persona ad personam intra eundem ordinem, v. g. ut proximo agnato deficientem, alteri agnato esset jus succedendi. Facti ergo sunt tres ordines. In 1. ordine erant sui; quibus deinde exaequati sunt liberi emancipati, eorumque filii; atrogati vero non nisi existentes in patria potestate. In 2. ordine erant agnati proximi, quibus deinde exaequati sunt remotiores agnati, & agnatae. In 3. ordine

erant cognati per lineam femininam descendentes. De his, si lubet, percurrere historiam jurum antiquorum locis in fronte tituli allegatis.

3. Q. I. Quis sit ordo successiois legitime, seu ab intestato de jure novo? R. 1. Succedunt liberi iusti cum suis descendentes. 2. In horum defectu ascendentes. 3. His deficientibus, consanguinei proximi collaterales, vel sublati deficientia inter agnatos, & cognatos, seu progenitos per lineam masculinam, & femininam: ita nov. 118. c. 1. d. 2. 3. 4. Tum 4. deficientibus collateralibus, succedit vir uxori, & e contra. Lun. C. unde vir. Ecclesia vero Clerico beneficiato, cui instat uxoris est, c. 1. h. 1. 5. Tandem sifcus secularis in bonis laicorum, & Ecclesiasticis in bonis Clericorum non beneficiariorum l. 1. 4. C. de bonis vacant. Quae circa haec dubia sunt, in seqq. resolventur.

4. Q. II. Quis, & quomodo liberi succedant? R. 1. Succedunt liberi iusti, seu ex legitimo thoro nati, vel legitimi per subiectionem, five sui sint, five emancipati, five adoptati ab extraneo, vel aliquo ascendente, Nov. 118. c. 1. d. 1. 10. §. 1. C. de adop. Econtra filii naturales non succedunt patri, sed aliis liberis deficientibus, dantur duae unciae, inter eos, & matrem concubinam dividende: reliquae vero decem unciae cedunt consanguineis. Sparis de jure civ. nihil esset dandum in defestationem tanti sceleris Nov. 89. cap. fin. at de jure Can. relinquenda sunt eis alimenta cap. 5. in fin. de eo. qui duxit. In matre, & avia aliud obtinet: nam filii naturales, imo & spiritaliter legitimi cum legitimis succedunt matri, & aviae, alii, quae per lineam maternam ascendentes, l. 8. ff. unde cognati, quia respectu matris reputantur pro legitimis; nisi mater esset valde illustis, habens filios legitimos; tunc enim sola alimenta praestanda sunt naturalibus; lib. 5. §. 4. ff. de agnosc. liber. lib. 5. C. ad SC. Orficiam. 2. Liberi primi gradus, ut filii, & filiae, succedunt aequaliter in capita, seu in portiones aequales: liberi vero secundi gradus, ut nepotes, uti & pronepotes, si concurrant cum liberis primi gradus, succedunt jure representationis in stirpes, seu portionem patris, aut matris capiunt, cit. Nov. 118. cap. 1. v. gr. tres sunt filii, & mortuo patre intestato, hereditas est 30. millium; ergo quisque capit 10. millia; quod est succedere in capita. Et contra duo filii sunt praemortui, & multos liberos relinquerunt, liberi cujusque patris portionem capiunt, scilicet 10. millia; quod est succedere in stirpes. Eadem successio obtinet, si soli nepotes existant: nam cit. cap. 1. generaliter, & indistincte asserit liberos secundi gradus succedere in stirpes. 3. Si pater repudiavit hereditatem, filii ejus non succedunt jure representationis; bene vero patruus succedere possunt jure consanguinitatis. l. 6. C. de legit. hered. 4. Liberi ex diversis nuptiis geniti, si parificatio prolium non intervenit, quique suo succedunt parenti: patri quidem, qui ex patre; & matri, qui ex matre sunt geniti, l. 3. 4. 5. C. de sec. nupt. Nov. 84. cap. 1.

5. Q. III. Quis, & quomodo ascendentes succedant suis liberis? R. 1. Deficientibus descendentes, pater, & mater succedunt in capita; avi vero, & aviae in stirpes: & quia in ascendentes non est locus juri representationis, ideo proximior ascendens, v. g. pater, solus succedit, excluso remotiori, ut avo, & avia materna, qui non subintrant in locum filiae, Nov. 118. c. 2. 2. Si cum patre, & matre, vel aliis ascendentes concurrant fratres germani, & forores defuncti, aequaliter succedunt in capita ex beneficio Nov. 118. c. 2. §. si vero: quod non extenditur ad fratres uterinos ex eadem matre, vel tantum consanguineos ex eodem patre procedentes. At si frater defuncti praemortuus est, relicta liberis, hi subintrant in locum sui patris, & jure representationis cum aliis fratribus succedunt in stirpes Nov. 127. c. 1. An vero in illo casu, quo omnes fratres germani, & forores defuncti defecerunt relicta liberis, hi jure representationis eum ascendentes succedant, dubium est: affirmant Konig, Haunoldus, & alii ex cit. Nov. 127. alii vero negant, quia dicta Nov. est correctio Novellae 118. cap. 3. adeoque restringi debet ad casum, quo nepotes cum fratribus defuncti concurrunt: fecus si omnes fratres praemortui sunt, soli ascendentes succedent, exclusis nepotibus. 3. Frater utrinque conjunctus, mor-

mortuo patre, non solus, sed cum avo defuncti succedit: ita comm. ex Nov. 118. cap. 2. ibi; cum proximis gradu ascendentes vocantur. Sed mortuo patre, & matre, avus paternus, aut maternus est ascendens gradu proximior: si enim est proximior, quem nemo antecedit, lib. 92. ff. de V. S. ergo non excluditur, sed una cum fratre germano defuncti concurrat ab intestato. 4. Filio adoptato pater extraneus adoptivus non succedit, sed pater naturalis, l. 10. §. 1. C. de adop. Avus vero adoptans succedit, excluso patre naturali, ibidem vers. si vero pater naturalis &c. filio tamen arrogato, si pubes mortuus, arrogator succedit: impuberis autem bona restituenda sunt consanguineis, ibid. in fin. & §. 3. de adop. 5. Pater spiritus nullo modo, filius naturalibus in defectu liberorum in duobus uncias, mater vero ex asse succedit vel sola, vel cum fratre germano defuncti virg. Auth. defuncto C. ad SC. Terentil.

6. Q. IV. Quis, & quomodo succedant consanguinei collaterales in defectu descendens, & ascendens? R. 1. Succedunt fratres germani (nomine masculino etiam femininum hic semper intellige) eorumque liberi, exclusis uterinis, & pure consanguineis, Nov. 118. c. 3. auth. cessante. C. de legit. hered. nam in germanis adest duplex vinculum, agnationis per patrem, & cognationis per matrem. His deficientibus succedunt fratres consanguinei, & uterini; & quidem aequaliter, si discreti sunt; si vero mixti, tunc consanguinei in bona paterna, uterini in bona materna; & utriusque aequaliter in alia bona communia a defuncto acquiritur succedunt, l. 13. C. de legit. hered. licet Fach. Schmier, & alii, in omnia bona aequalem successionem eis attribuant ex Nov. 118. c. 3. v. his autem non existentibus, ubi citat. l. 13. dicunt esse correctam. 2. Fratres germani succedunt in capita: filii vero eorum cum aliis fratribus concurrentes tantum in stirpes cit. Nov. 118. c. 3. auth. cessante C. de legit. hered. Hoc autem jus representationis in linea transversa non extenditur ultra fratrum, & fororum filios, licet in linea recta pertingat in infinitum, Nov. 127. c. 1. At si extent soli filii fratrum germanorum, illi soli succedunt: & quidem in capita, arguendo ab aliis collateralibus inferioribus, qui pariter in capita succedunt, cit. Nov. 118. c. 3. in fin. Et hanc sententiam Carolus V. firmavit in comitiis Spirensi, ann. 1529. nam nepotes istius, tali casu, non jure representationis, sed jure proprio consanguinitatis succedunt. 3. Liberi ex fratribus consanguineis, & uterinis, si soli sint, succedunt in capita: si vero extent fratres consanguinei, aut uterini, videntur repelli ab omni successione cum istis habenda: nam jus representationis conceditur tantum liberis fratrum utrinque conjunctorum, seu germanorum cit. Nov. 127. cap. 1. nisi consuetudo sit, ut succedant in stirpes. 4. Ceteri consanguinei gradu proximi tandem vocantur: & quidem si plures sint, in capita, Nov. 118. c. 3. in fin. quia ex propria persona jure conjunctionis, non jure representationis succedunt. 5. Fratres arrogati, si non praecessit emancipatio, sibi invicem succedunt, l. 2. §. 3. ff. de suis l. 10. §. 1. & fin. C. de adop. 6. Illegitimi habentes communem patrem, sed non matrem, nullo modo sibi succedunt; quia nec sunt agnati, nec cognati; cum agnatio ex nuptiis, cognatio per matrem habeatur. At si matrem communem habeant, deficientibus legitimis, tum sibi invicem, tum etiam cognatis per matrem succedunt, §. 12. Inst. de nuptiis, §. 4. Inst. de success. cognat. 7. Consanguineis omnibus deficientibus, uxor mariti, & e contra succedit, l. m. ff. & l. m. C. unde vir. imo si uxor pauper sit, & dote careat, cum tribus liberis succedit in quartam partem, cum pluribus in partem virilem; cujus solus usufructus debetur matri in vita; proprietates vero est liberorum; nisi hi matri praemorerentur, Auth. praeterea C. unde vir Nov. 53. c. 6. Nov. 117. c. 5.

7. Q. V. Quomodo, & in quibus bonis Ecclesia succedat Clerico? R. 1. Attento jure communi, Ecclesia Clerico beneficiato succedit in bonis Ecclesiasticis superfluis, exclusis etiam legitimis haeredibus, c. 1. & fin. de pecul. Cler. & haec bona asservantur pronecessariis Ecclesiae c. 12. de resam. aut consignantur successori, vel Canonice in pios usus eroganda. 2. In bonis patrimonialibus, vel quasi, succedunt Clerico le-

gitimi haeredes, & in eorum defectu Ecclesia, c. 1. h. 1. vel Camera Apostolica, maxime si Clericus non sit beneficiatus per varias Bullas Pontificum Julii III. Pauli III. & IV. Gregor. XIII. &c. quae tamen dicuntur non esse usuraeceptae in Gallia, Lusitania, & Germania. 3. Bona peregrinorum in hospitalibus decedentibus, si fieri potest, tradenda sunt haeredibus ab intestato succedentibus: fecus per Episcopum in piis causis eroganda: & si hospes aliquid ex iis sumpserit, triplum restituere tenetur Episcopo, Auth. omnes peregrini C. commun. de success.

Hanc Auth. approbavit etiam Honor. III. Constitum. Has leges ann. 1226. la 1. in ordine apud Bulvar. Cherb.

Circa bona decedentium in nosocomiis, five condito, five non testam.; five ad causas profanas, five piis; non inuile erit pro praxi sub oculos habere sequentia Cong. Conc. responsa ad dubia in Pragen sacentis testandi 8. Maii 1683. inter Fratres Servorum B. Mariae Virginis Praga, & sancti Joannis de Deo, pretendentes vigore asserorum privilegiorum, atque consuetudinum, bona morientium in ipsorum nosocomiis, & apud morientes reperere eorumdem nosocomiorum commoda cedere debere.

I. An aliquis decedens in hospitali Fratrum Misericordiae Ordinis B. Jo. de Deo, qui in eodem hospitali prius asportaverat pecunias, & alia mobilia, possit de istis pecuniis, & mobilibus asportatis disponere per testamentum; ita ut dicti Fratres teneantur tradere dictas pecunias, & mobilia pro adimplenda voluntate defuncti; maxime si dispositio testatoris fuerit ad piis causas, & cum onere missarum? Et quatenus affirmative.

II. An idem dicendum sit, casu, quo dispositio non fuerit ad piis causas.

III. An aliquo decedente in dicto hospitali, nullo condito testamento, ejus substantia ibi asportata cedat totaliter hospitali, exclusis omnibus sanguine conjunctis; praesertim si hospitali de reliquo serverit indenne.

Sac. Cong. R. Ad I. & II. Affirmative, etiam de consensu Partium.

Ad III. Negative; nisi constet de contraria consuetudine legitime praescripta.

Agebatur hic de pecunia, & mobilibus pretiosis secum ad nosocomium asportatis ab Antonio Eberro Perusino, qua mortui proximis ibidem testamento legavit diversis personis, & signanter Ungaricos centum praesatis Fratribus Servorum cum onere missarum. &c.

8. Q. VI. Quomodo monasterium succedat novitii, & professi? R. 1. In bonis novitii probabilis nullo modo ab intestato succedit, nisi forsitan nulli sint consanguinei: ita comm. contra Clarum Decium &c. nam ex una parte jura novitii non devolvuntur ad monasterium, nisi secuta professione: ex altera vero parte non constat monasterium concessum privilegium succedendi in bona novitii, vel ex eis legitimam percipiendi. 2. Bona omnia Religiosi professi, si ante professionem de illis non disposuit, devolvuntur ad monasterium, non modo quoad dominium, sed etiam quoad possessionem absque ulla corporali apprehensione: ita Auth. ingressi, & seq. Auth. si qua mulier. C. de SS. Eccl. Nov. 5. c. 5. ibi: ingredientem. Quae jura civilia recepta, & approbata sunt a jure Can. Dec. 7. 9. caus. 19. q. 3. nam aequum est, ut qui Deo personam suam obtulit, etiam monasterio sua bona relinquat; maxime cum professione secuta, si disponendi amiserit, & in monasterium transuleat. Hinc etiam sequitur, quod si postea hereditas devolvatur ad Religiosum, ea cedat monasterio, cui liberum erit illam adire. Excipit 1. Regna, ducatus, & similia bona, quibus annexa est jurisdicctio personae laicae, & majoratus pro splendore, & conservatione familiae erectos: haec enim non devolvuntur ad monaster. Excipit 2. casum, quo pater professus est, & antea liberis suis nihil judicavit: tunc enim voluntate Praelati legitimam illis assignabit, computato etiam monasterio, ut el vititibus portio obringat, cit. Auth. si qua, & Nov. 123. c. 38. quae legitima, cum vicem alimentorum obtineat, statim, non expectata naturali morte patris professi, tradenda est liberis, ut colligitur ex Can. fini.